

# ILLVSTRISSIMO

## ATQVE REVERENDISSIMO

DOMINO, D. IOANNI ALFONSO

Menesio, Archiepiscopo Bracharensi, &

Hispaniae primati. Paulus Palacius

Salazarius. S.



Ei Opt. Max. Arcano Cōsilio actum  
est, Illustriſime Antistes, vt ex innu-  
merabili mortalium multitudine, per  
vniuersum orbem latē, longēque dif-  
fusa, Iudæorum sibi populum Diuina  
Sapiencia delegerit: quasi speciale pe-  
culium & hæreditatem, in qua regnum proprium &  
habitationem haberet. Quod Sapientia ipsa docet,  
cum ait: Præcepit mihi Creator omnium, & dixit: In  
Iacob inhabita, & in Israel hæc editare. Et sic, inquit,  
in Sion firmata sum: & in ciuitate sanctificata simili-  
ter requieui: & in Ierusalem potestas mea. Hoc siuum  
Sapientia regnū innumeris illustrauit miraculis, glo-  
riosis auxit victorijs, copiosissimis ditauit opibus, &  
infinitis propemodum omnis generis beneficijs cu-  
mulauit. At verò, quod est hominum ingeniū, ad ma-  
lum ab adolescentia propensum, regnū illud tot ex-  
ornatum munerib. ijs omnibus ac Deo illorum col-  
latore contemptis, gentium idola impiissimè coluit,  
& fœda criminum collunie cōtaminatum est. Non de-  
cuit Dei bonitatem ac iustitiam, vt tot tantaque ho-  
minum scelera dissimilaret. & populi tantopere dile-  
cti saluti non prouideret, remedij, quæ eius vulneri-  
bus sanandis commoda videri poterāt, adhibitis. An-  
nis igitur multis annonæ penuria, & terræ sterilitate,  
eam gentem non semel miserè affixit, saeuissimis et-  
iam pestibus, ac truculentissimis hostibus, qui regio-  
nem frequentius vastarēt, diuexauit. Et ne eos lateret,